

Heinrich Schuckmann Martin Gerdes

Disputatio Iuridica, De Dolo Culpa & Casu Fortuito

Rostochii: Richelius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731850173>

Druck Freier  Zugang



Betrug, Schuld, Zufall (Gelegenheit)

Schackmann - Jurdes, 1/b
R. U. Nr. 1643.

DISPUTATIO JURIDICA,
De
DOLO CULPA
et
CASU FORTUITO. 74

^{Quam}
D. T. O. M. A.
Auctoritate Magnifici & Amplissimi Se-
natus Juridici, in celeberrima Rosarum
Academia,

PRÆSIDE
Spectabili, Amplissimo, et Consultissimo
Viro,

DN. HEINRICO SCHUCKMAN,
Jcto Eximio, Professore Codicis publico, & Juridicæ
Facultatis p. t. Decano ; Dn. Præceptore ac Fautore suo
plurimum honorando.

publico examini subicit

MARTINUS GERDES
Rostochio - Megap. A. & R.

In Auditorio Majori ad diem 6 Maji.

ROSTOCHII,
Exprimebat Johannes Richelius, Senat. Typogr.
ANNO M. DC. XLIII.

DISPUTATIO JURIDICA

DOLO GUILTA

CASUS FORZATI

D. T. M. A.

Alte Rechte des ...

... in ...

...
...
...



...
...

...

ROSTOCHIA

...

...



DISPUTATIONIS JURIDICÆ
DE
DOLO, CULPA & CASU FOR-
TUITO,
THESIS PRIMA.

DOLI vocabulum medium est, & ut alibi, ita & in usu juris accipitur dupliciter: ac denotat vel dolum bonum, (de quo hic non agimus) vel malum, l. i. §. non fuit 3. ff. de dolo malo. l. i. §. 3. ff. de ser. corrupte. Godofred. ibid. in notis lit. C. & E., quæ significatio est hujus loci.

I I.

Dolus malus definiente *Labeone* in l. i. §. 2. ff. de dolo mal. Est omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumvenendum, fallendum, ac decipiendum alterum adhibita.

III.

Distinguitur à Jctis, ut alius sit præteritus, alius futurus: de priore licita est pactio, qua remittitur, ne scilicet de illo agi possit; de altero, non licet pacisci, l. si unus. 27. §. illud 3. ff. de pactis. l. contractus 23. ff. de B. J.

IV.

Culpa in genere definitur, quod sit læsio quædam, rebus alienis illata, per negligentiam & imprudentiam, vel faciendo quid, vel omittingendo, quæ quidem (læsio) potuisset humanitus præcaveri atq; evitari, l. 226. de V. S. l. si putator 31. circ. med. ff. ad L. Aquil.

V.

Culpa distingui solet, in tres gradus; Dicitur enim, culpa lata, levis & levissima. *Duaren.* in l. si mora. 9. ff. solut. matrimon.

A 2

Lata

VI.

Lata culpa est summa & dissoluta negligentia, quando quis ignorat id, quod omnes sciunt, vel quando quis id facit, quod quilibet vir bonus omitturus fuisset, vel quando quis id omittit, quod quilibet bonus facturus fuisset, *l. lata culpa. 223. ff. d. V. S. l. cedere diem. 213. §. 2. d. tit.*

VII.

Hæc in contractibus dolo æquiparatur, eiq; proxima est, *l. t. §. 1. vers. lata culpa. ff. si mens. fals. mod. dix. l. si fortuito. 11. ff. de incend. ruin. naufr. l. 1. §. 2. culpa. ff. si is qui test. lib. esse iuss. nam qui dolum præstat, eam quoq; præstare debet, Duaren. l. 9. ff. solut. matrim.*

VIII.

In hac culpa lata est is, qui tempore incongruo, ut puta flante vento, ignem immisit seu accendit in loco aperto: veluti si tempore ventoso in loco aperto stipulas suas, vel spinas incendit, & ignis evagans ad vicina pervenit, *l. qui occidit. 30. §. in hac 3. ff. ad L. Aquil.* Ut & is qui rem ideo amiserit, quod nocturno tempore eam dimiserit in via publica, & causetur se non putasse quemquam abiatum esse, *Duaren. de commod. cap. 8.*

IX.

Aliquando lata culpa in delictis à dolo distinguitur, *3. in lege Cornelia. 7. ff. ad L. Cornel. de sic.*

X.

Levis culpa est, quando quis non ad eum modum, quem secundum hominum naturam, ac consuetudinem, prudentes, ac diligentes patresfamilias suis rebus adhibent, diligens est, *l. socius socio. 72. ff. pro socio. Duaren. d. l. 9. si mora ff. sol. matr.*

XI.

Levissima culpa est, quando quis tantam quidem diligentiam rebus alienis adhibet, quantam suis; sed non
quan-

quantam diligentissimus paterfamilias adhibiturus rebus
suis fuisset, *l. 1. §. 2. ff. de O. & A. Duaren. d. l. 9. solut. matrim.
ac sit. commod. c. 8.*

XII.

Unde est quod quotiescunq; diligentia ab aliquo re-
quiritur is levissimam culpam præstare debeat, *l. in rebus: §.
in pr. ff. commodati, nisi subiecta materia quâ de agitur, aliud
postulet, ut in l. 1. in pr. ff. de tutela & rationi: distrab.*

XIII.

Sed ut eò melius intelligatur quænam culpa in singu-
lis contractibus præstetur, notandæ erunt regulæ hæ ge-
nerales: 1. In contractibus qui dantis tantum gratia ha-
bentur, venit dolus, & lata culpa; ut in deposito, quia fit
tantum gratia ejus qui deponit, nec ulla est utilitas ejus
qui accipit. *l. 1. §. 2. ff. commodat. l. 1. §. 8. in fin. ff. deposit.*

XIV.

Secundò, in contractibus qui accipientis tantum gra-
tia celebrantur, levis & levissima præstantur: ut in
commodato, *d. l. 1. §. 2. in fin. verb. diligentiam & l. 1. §.
verb. diligentissimus ff. commodat. & hoc æquitas postulat, ut
cujus quid causa & nomine fit, sive cuius commodo, ejus
quoq; ad incommodum redundet: l. nam hoc natura 14. ff. de
condict. indebit.*

XV.

Tertiò, in contractibus qui utriusq; gratia fiunt, lata
culpa ac levis præstantur: *d. l. 1. §. 2. ff. commod. & ibid. Godo-
fred. in noe. lit. D. & Duaren. de commod. c. 8. Giphani §. ult. Inst. Q. M. R.
c. o. & c. de quibus in specie infra.*

A 3

Dolo

XVI.

Dolo & culpa consideratis, succedit casus. Casus vocabulum (ut alias linguæ latinæ significationes mittam ubi v. g. accipitur, vel pro lapsu, vel pro morbo, vel pro quolibet periculo, vel pro variis atq; inopinatis eventis, vel pro temeritate, oppositâ consilio, rationi, arti & prudentiæ &c.) in jure civili capitur dupliciter, vel enim generale est, vel speciale.

XVII.

Generaliter usurpatum, denotat vel facti speciem, quam alii hypothesein, alii thema, veteres facti speciem appellarunt, *l. neq; leges 10. ff. de LLbu. Godofred. ibid. lit. M. & articulos, l. 12. ff. d. LL. vel negligentiam, ut in l. 9. qui ades ff. de incend. ruin. naufrag. vel denotat eventum seu qualitatem aliquam supervenientem, l. ult. §. 1. C. de temporib. & reparat. appellat.*

XVIII.

Specialiter, vel absolute dictus casus, est damnum quod nulla interveniente, vel præcedente negligentia, aut culpa, sed majori quadam, & occulta vi contingit, quæ vel provideri prorsus nequeat ab homine, vel cui resisti non possit, etiamsi prævideatur, *l. 6. C. d. pign. act. l. tutoribus. 4. C. de peric. tut. Rittersb. in l. contractus 23. ff. de R. J.*

XIX.

Exempla casuum fortuitorum, cum in historiis, tum etiam in nostro Jure civili permulta reperiuntur, ut mortes, fugæ servorum qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, *l. 23. ff. de R. J.* Aquarum magnitudo, quæ sæpe & homines & jumenta, aliaq; pecora abripiuntur, ac suffocantur, adeoq; etiam tota ædificia diruuntur, ac subvertuntur, maxime prope mare, vel flumina majora, quemadmodum hoc currente anno, millesimo, sexcentesimo,

tesimo, quadragesimo tertio, mense Januario, multis in locis, miserrime contigit: quam inundationem aquæ, Imperat. Infit. §. 3. de empt. & vend. vol. ar. impetus prædomum, d. l. 23. ruina, l. 1. §. & ille quidem 4. ff. de O. & A. & Sitem is Infit. Q. M. R. C. O. naufragium, l. 16. utiq. §. 1. & l. 36. qui petitorio. §. 1. in f. ff. d. R. V. Turbo, d. §. cum autem 3. Infit. de empt. terræ motus, §. si vi a. l. 17. ff. locat. Insectæ d. l. 15. ex conducto §. 2. ff. locat. l. 18. excepto. C. de locat. & conduct. Vicia ex re ipsa nata l. 1. pr. & l. 4. si quæ vina. ff. de peric. & commod. rei vend. & alia: de quibus Rittersb. in d. l. 23. ff. d. R. J.

XX.

Cœterum in genere casus fortuitus ex natura contractus, in nullo bonæ fidei iudicio, l. 6. quæ si rtuitu. C. de pign. act. & c. & à NULLO præstatur, l. si fortuito 11. ff. de incend. ruin. naufr. l. contractus 23. ff. d. R. J. l. 2. §. 7. ff. de administr. rer. ad civitat. pert.

XXI.

In specie, regulariter commodatarius casum fortuitum, seu vim majorem l. si merces. §. vi major. ff. locat. non præstat, nec interitum, aut damnum rei, casu fortuito accedens, l. si ut certo §. nunc videndum 2. & §. quod vero 4. l. cum qui ro. pr. l. ad eos, 19. l. argentum 20. & l. fin. ff. commodat. Dummodò non ipsius culpa is casus intervenerit, v. v. emb. parat. ff. n. s. commod. h. e. si ipse re commodata non aliter usus fuit, quam eam utendam accepit. §. item è cui Infit. Q. M. R. C. O.

XXII.

Ideoq; si quis equum commodatum ex pascuis accepit, & postea, finito tempore ad quod istum equum utendum accepit, vel etiam antea, ipse hunc equum in illa pascua reduxit, ibiq; absq; custode dimisit, non admonito domino equi, & ille equus, vel à latronibus ablatu fuerit, vel à lupo aut aliâ ferâ interemptus, ipse hujus nomine

nomine domino equi non obligatur: Si is eo tempore,
quo commodatarius hunc equum ad ista pascua reduxit,
ibi alios equos pascendi gratia, absq; custode habuerit.
Schrad. de contract. n. 27. de commod. Nam dolum & culpam,
diligentiam, & custodiam, qualem à vigilantissimo patre-
familias requirimus (quæ levissimæ culpæ opponitur)
commodatarius præstat. *d. l. si ut certo §. nunc videndum 2. §. 9. usq;
adeo & §. penult. l. in rebus 18. pr. ff. commod.* Unde si res culpâ
ejus, vel abusu, aut negligentia, in casum interitus, aut
damni inciderit, tenetur *d. l. si ut certe §. quod vero d. l. cum qui 10.
princ. d. l. in rebus pr. ff. commod.*

XXIII.

Quapropter si is qui equum commutato accepit,
proficiscens cum isto equo, fortè inciderit in amicos suos,
cum aliis armis digladiantes, & ipse huic rixæ se immisce-
at, & ita ille equus, in isto prælio, sive rixa interficiatur,
ipse commutati hujus equi nomine obligatur, licet ille
ipse commodans, qui in hac rixa parti adversæ casu ade-
rat, hunc equum non studio interfecisset, eo quia com-
modatarius fuerat in culpa, quod se alienæ rixæ cum equo
commutato immiscuit, *Schrad. d. loc.*

XXIV.

Quod & tunc verum est, si commodatarius pacto in
se suscipiat casum fortuitum, *d. l. 1. vers. sed cum is C. de commo-
dato l. 1. in verb. si non aliud specialiter C. depos. vel si rem æstima-
tam commutato accepit, d. l. si ut certos §. & si forte 3. ff. commod.*
Vel simili modo, comodatarius tenetur de casu fortuito,
si ipse furtum rei commisit, utpote si rem commodatam
vendidit & tradidit, licet eam postea recuperavit, *arg. l. 1.
§. si rem depositam 25. ff. depos. vid. Schrad. d. l. n. 27.*

XXV.

In mutuo aliter res se habet, hic enim non liberatur
qui

qui accepit, si fortuito casu amiserit quod accepit: sed
eum casum præstat, § *item is cui 2. Instit. Q. M. R. C. O.* nam id
naturæ mutui consentaneum est, ut periculum ad eum qui
mutuo accepit. d. §. 2. pertineat. *VVe semb. parat. ff. n. 12. de reb. cred.*
Cum quia ipsius gratia contractus inicitur. *l. si ut certo 5. §. 2. ff.*
commod. tum quod dominus est, cui res perire solet. l. pignus
9. C. de pignor. act. Postremo, quoniam res in genere con-
sistentes, ut sunt quæ pondere, numero, mensura con-
stant, perire nequeunt, neq; debitorem interitu liberant,
l. incendium C. si cert. perat. VVe semb. parat. ff. d. loc.

X X V I.

Depositarius etiam casum fortuitum regulariter præ-
stare non tenetur, *l. contractus 23. ff. de R. J.* est enim ex natura
depositi ut periculum ad deponentem, non autem ad de-
positarium spectet: Et si perit res deposita, ob negligenti-
am depositarii, perit deponenti, quia sibi debet imputa-
re, quod parum diligentem custodem repererit. § *præterea.*
Inst. Q. M. R. C. O. Motz. intr. de contract. rubr. de natural. depos. n. 3.
ad aliud enim non tenetur, nisi ut præstet dolum ac latam
culpam, *d. l. 23. ff. d. R. J. l. 1. §. si vestimenta. 8. & §. fin. ff. depos. l. 1.*
c. eod. quæ huic æquiparatur. Et hoc adeo verum est, &
procedit etiam, si nauta, caupo, stabularius, rem aliam
extra officium suum custodiendam recipiat,

X X V I I.

De creditore qui rem pignori accepit, idem, quod de
præcedentibus dictum est, affirmandum erit, nam quia
contractus pignoris utriusq; gratia *l. §. 2. ff. commodat. & l. 23.*
ff. de R. J. tam creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum
§ *creditor. Instit. Q. M. R. C. O.* (tutius enim est incumbere re-
bus, quam personis. *l. plus cautionis 25. ff. de R. J.*) quam debi-
toris, quo magis ei pecunia credatur, contrahitur *d. §. 4.*
Certi juris est creditorem in hoc contractu tantum de-

B

dolo,

dolo, lata, ac levi culpa, qualem diligens paterfam. præ-
stare solet, obligari. *l. si cum venderet. 13. §. fin. cum LL. seqq. l. si
pignore. 22. §. fin. l. si servos, 25. de pign. act. d. §. ult. Instir. Q. M. R. C. O.
Vvesemb. parat. n. 7. ff. de pign. act.* Quod tamen in pignore
prætorio, vel judiciali, non procedit, in hoc enim Credi-
tor tantum de dolo & lata culpa tenetur. *l. 9. prator. §. est præ-
terea quasitum 5. ff. de Reb. autor. jud. possid.* Vim autem majorem
& casum fortuitum non præstat, *l. si inter. 21. §. quicquid. 2. ff.
de pignor. & hypoth. l. qua fortuitis. C. de pign. act.* Custodia enim
adversus vim parum proficit. *l. si ea res. 31. ff. de act. empr.* Sed
ad debitorem qui est dominus pignoris, periculū spectat,
l. qui ratiario 30. l. f. §. fin ff. de pign. act. l. pignus 8. C. eod. Exceptis
tamen illis casibus, in quibus commodatarium, & deposti-
tarium obligatos esse supra thes. præcedentibus indicavi-
mus, vel nisi propria autoritate pignus occuparit. *l. 30. ff.
de pign. act.* vel si creditor eo casu quo pignus non possi-
det, in se recipiat simpliciter pignoris periculum: in his
enim casibus, creditor de casu fortuito obstrictus est,
Vvesemb. parat. ff. n. 7. de pign. act. Schrad. de contr. eod. n. 53.

XXVIII.

Et hæc in contractibus realibus obtinent: In emptio-
ne ac venditione porrò, si res vendita pereat, vel deterio-
retur, absq; culpa ac negligentia venditoris, vel acciden-
taliter, vel naturaliter, §. cum autem. *Inst. de empr. & vendit.* tunc
dicendum est: quod si erat res tradita, verè vel fictè, cla-
rum esse, quod periculum, & damnum spectet ad empto-
rem, non autem ad venditorem, cum in eum dominium,
translatum sit, & venditor ex parte sua soluerit, & totali-
ter adimpleverit contractum, *text. in l. leRos. 12. & l. quod si
neg. 14. ff. de P. & C. R. V.* Si autem res non sit tradita verè,
vel fictè, erit periculum, ac damnum venditoris: quare si
trabes sint signatæ ab emptore videntur traditæ, & peri-
culum

culum spectat ad emptorem, *l. quod si neq. 14. § fin. ff. de P. & C. R. V. Mozz. rubr. in accident. empt. & vend. n. 141.* Vel quia commodum percipit emptor, etiam ante traditionem, E. incommodum etiam sentiat, *l. 7. in pr. ff. de P. & C. R. V. l. 10. ff. de R. J.* Vel quia venditor fuerit certæ speciei debitor: Qui liberatur interitu rei sine culpa contingente ante moram, *l. si ex legati. 23. ff. de V. O. VVesemb. n. 7. & n. 7. ff. de P. & C. R. V. Schrad. ibid. n. 131. & 134.*

X X I X.

A Conductore etiam locatori casus fortuitus non præstatur, *l. si quis domum. 9. § si colonis. l. ex conducto. 15. § cum quidem 3. ff. & l. in iudicio 28. C. de locat. & conduct.* hic enim, etiam si cum in annum habitationem conduxisset, pensionem totius anni dederit, deinde infula post aliquot menses incendio consumpta sit, pensionem residui temporis rectissime ex conducto actione repetit, *text. in l. sed addes 19. § si quis cum in annum 6. ff. Locati.* & ei, si combustam domum refecerit, locator in eo quo factus est locupletior, actione negotiorum gestorum tenetur, *Lubl. d. l. c. 2. n. 64.* nec non petenti, remissio pensionis propter casum incendii faciendâ. *d. l. ex conducto 15. § cum quidam ff. locat. VVesemb. parat. ff. n. fin. d. t. Gail. 2. observ. 23. n. 3.* Regulariter enim nihil magis quam dolum, culpam latam, ac levem, præstare tenetur, *l. si quis § 3. ff. locat.* & uti ficut bonus paterfam: debet, *l. si merces. 25 § conductor. 3. ff. d. t.* Custodia autem, & levissima culpa, ex naturâ locationis, nisi certis casibus, id est, ratione circumstantiarum, & pactionum, interdum præstanda est, *VVesemb. parat. ff. n. 15. d. tit.*

X X X.

Conductor tamen operis, qui totum opus conductum, certa pecuniarum summa (sicut ad solet fieri) redemit, si partem aliquam fecerit, quæ deinde incendio consumpta sit, casum hunc fortuitum sibi adscribere debet, *text. est in l. & ideo 15. ff. de V. O. Lubl. de incend. d. c. 2. n. 68.* sumptibus

bus enim suis opus facere cogitur, ideoq; & periculū suum erit, & ideo si millies caderet opus, quamdiu totum opus non est factum, non satisfecit promissioni, quia operis effectus in partes scindi non potest. *elegans text. in l. in executione 85. § secunda. ff. de V. O. & in l. si is qui 80. § quadam. ff. ad L. falcid. in l. penult. in fin. C. de his quib. ut indign.*

XXXII.

Non præstatur quoq; casus fortuitus à Socio. *l. cum duobus 52. § damna ff. pro socio, In hoc enim contractu quemadmodum in reliquis bonæ fidei iudiciis culpa levis, & dolus præstatur § fin. Instit. de societate. l. socius socio 72. ff. pro socio. nullus enim contractus est, nullum negotium, à quo non dolus, malitia, fraudatio, mala fides, & omnis mala ars abesse debeat. l. 4. C. de O. & A. l. bona fides ff. depos. d. l. socius socio ff. pro soc.*


XXXIII.


Non præstatur quoq; à mandatario casus fortuitus, neq; etiam à negotiorum gestore, qui dolum latam & levem culpam præstare tenentur. *l. in procuratore 13. C. mandat. §. 1. Instit. de Oblig. qua ex. q. contr. l. si negotia 11. ff. de negot. gest.*

XXXIII.

Disputationem hæc claudat questio : An tutor vel administrator Ecclesiæ, qui mandatum cum libera habuerit, si cuidam, qui communiter opulentus habitus est, & quidem tali, quem quisq; diligens, imò diligentissimus paterfam: elegisset, communem pecuniam, consensu collegarum, crediderit, nec postea in exigendo, negligens fuerit: Debitor verò, elapsis aliquot annis, ad paupertatem reductus, ad restitutionem hujus mutuatæ pecuniæ, administrator teneatur? Nego.

Laus tibi summe Parens, laus sit tibi Christe Redemptor,
Sit quoq; laus itidem, Spiritus alme tibi.





the scale towards document

demptorem, l. quod si neq̄. 14. § fin. ff. de P. & C
accident. empr. & vend. n. 141. Vel quia com-
tempor, etiam ante traditionem, E. in-
am sentiat, l. 7. in pr. ff. de P. & C. R. V. l. 10. ff. de R. J.
or fuerit certæ speciei debitor: Qui libe-
ri sine culpa contingente ante moram. l. si
O. VVesemb. n. 1. & n. 7. ff. de P. & C. R. V. Schrad.

X X I X.

Store etiam locatori casus fortuitus non
is domum. 9. § si colonis. l. ex conducto. 15. § cum qui-
cicio 28. C. de locat. & conduct. hic enim, etiam si
nabitationem conduxisset, pensionem tot-
t, deindè infula post aliquot menses incen-
sit, pensionem residui temporis rectissime
tione repetit, text. in l. sed addes 19. § si quis cum
ri. & ei, si combustam domum refecerit,
no factus est locupletior, actione negotio-
tenetur, Lubl. d. l. c. 2. n. 64. nec non petenti,
nis propter casum incendii facienda. d. l. ex
quidam ff. locat. VVesemb. parat. ff. n. fin. d. t. Gail. 2.
regulariter enim nihil magis quam dolum,
c levem, præstare tenetur, l. si quis § 3. ff. locat.
us paterfam: debet, l. si merces. 25 § conductor. 3.
a autem, & levissima culpa, ex naturâ loca-
s casibus, id est, ratione circumstantiarum,
nterdum præstanda est, VVesemb. parat. ff. n. 15.

X X X.

r tamen operis, qui totum opus condu-
uniarum summa (sicut ad solet fieri) rede-
liquam fecerit, quæ deinde incendio con-
m hunc fortuitum sibi adscribere debet,
15. ff. de V. O. Lubl. de incend. d. c. 2. n. 68. sumpti-
bus